

† **R. P. Ioannes Bennet** (1901-1956)

(*Prov. Toront.*)

Hic zelantissimus devotionis erga Perpetui Succursu Matrem et Rosarii in familiis recitandi apostolus natus est primo die Mensis Mariani a. 1901 Torontoni in nostra S. Patricii paroecia, in cuius ecclesia sacramentum baptismatis primamque communionem recepit ac totiens sacerdoti ad altare pie ministravit. Optimi parentes tres filios generose Congregationi nostrae dederunt, et Ioannes quidem, horum trium natu maior, sexennium (1914-1920) in iuvenatu Provinciae Baltimorensis North East transegit ac vitae religiosae tirocinium in Ilchester, ubi festo S. P. N. Alfonsi anni 1921 vota nuncupavit. Secuti sunt in studentatu Esopus, New York, quinque anni immediatae praeparationis ad sacerdotium, quod 13 Iun. 1926 ab Auxiliari Episcopo Neo-Eboracensi Exc.mo Dunn recepit.

Absolutis studiis theologicis per septennium (1927-1934) in suae Provinciae novo iuvenatu Brockville nostram iuventam instruere et educare satagit; tum, facto prius secundo novitiatu, iussus est Provinciae periodicum mariale moderari, vocatum illo tempore *The Eikon* (nunc *Madonna*). Quod ut melius perficeret, antea in Universitate Fordham, New York, publicitatis scientiae incubuit, obtento quoque ibi gradu academico M. A. (Magistri Artium). Decennio suae

« redactionis » effecit ut periodicum cum interna perfectione tum externa diffusionem cresceret; et si hodie ad 14.000 subscriptorum pervenit, magna huius progressus pars, ut omnes concedunt, indefesso labori P. Ioannis Bennett debetur.

A. 1945 nominatus est a Rev.mo P. Murray Rector domus Vancouver, in Columbia Britannica ad oram Pacifici sitae, ergo in hodierna Vice-Provincia de Edmonton. Ut talis recensetur in Catalogo anni 1948, p. 828. Eodem tempore eius fratres germani Augustinus et Iacobus edendo periodico *Madonna* addicti erant. Ioannes, reversus ad orientalem vastissimae regionis Canadensis plagam, ad vetustam paroeciam Marianopolitanam S. Annae, aggressus est magnum suum opus diffundendi ope radiophoni cotidianam recitationem Rosarii in singulis familiis, acquirens sic in patria veram celebritatem. Omni vespere vel ipse vel aliquis insignis praelatus vel sacerdos ab ipso invitatus coram microphono cum aliquo determinato manipulo ad id collecto recitabat illam orationem, augustae coelorum Reginae adeo gratam. Solo Anno Mariano ultra 15.000 catholicorum, transmissis suis nominibus, professi sunt publice se cotidie hoc obsequium Deiparae in sua familia persolvere.

Patronus morientium S. Ioseph hunc devotum suae Sponsae clientem ad aeterna praemia vocavit altero die mensis sibi peculiariter consecrati. Illo die 2 Martii, feria VI, P. Ioannes, licet semper sat debilis esset et iam graviter e corde laboraret, mane astitit solito more meditationi, Missae sacrificium devote Deo obtulit, fidelibus sacram synaxim administravit. Tum vero coactus est nosocomium S. Mariae petere, ubi, appropinquante quasi subito morte, adhuc ultima sacramenta recipere potuit et inter preces trium confratrum praesentium animam suam Creatori reddidit. R. I. P.